



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Berchtoldvs I. Ex Baronibvs Avaldse Abbas Heremi Decimvsquintvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



BERCHTOLDVS I.
EX BARONIBVS AVALD-
SE ABBAS HEREMI
DECIMVS QVINTVS.

PRINCIPES Germaniæ bellorum jam fessi legatos ad pontificem pro pace destinauere, Philippi etiam voluntate, & consilio. Comitatus Northausiæ Saxoniam agitata, quibus interfuerunt pontificis legati. Illis comitijs in hanc itum sententiam, uti Philippi filia Othoni desponderetur. Otho, quamdiu vita focero suppeteret, regno abstineret, defuncto sine controuersia succederet. Acta hæc, diebus natalitjs, anni eius seculi septimi. Anno proximo, Philippus, compositis ex animi sententia rebus, Sueuiam vnicum patrimonium re-

A. D. N.

CIO.

CC. VII.

A. D. N.

CIO.

CC. VIII.

petiturus

petiturus Bambergæ deuertit, vbi cum fecordius agitaret ab Othone palatino à Vietelsbach in regio cubili nefariè cōfossus occubuit. Principes regni cūm Francofurti cōuenissent, tollendis discidijs, facilè in Othonem Brunsvicensem consensere, cūm ab eo facere pontificem haut dubitarent. In Sueviæ ducatu successit Fridericus VI. eo nomine dux, Philippi nepos, rex Siciliae. Hoc tempore fundatum ab Luitolfo Barone à Regensberg, Grueningæ domino Monasterium Ruti ordinis Præmonstratensis in agro Tigurino: locupletarunt postea Comites Toggenburgenses, qui sepulturam illic suam elegerunt, alijque plures nobiles. Innocētius pontifex, anno nono, procerum electionem, misis Ostiensi, & S. Crucis Cardinalibus, qui Othonem ad accipiendam Romæ coronam inuitarent, comprobavit. Otho Herbipoli conuentum habuit, peragratisque Rheni partibus, magnum prædatoribus, & latronibus, qui licentiam per bella præterita naçti, latè per Sueuiam præcipuè, & totam adedò Germaniam superiorem grassabantur, terrorem incussit. Edictum enim grauissimum in eos superiori conuentu publicauerat, quo nulli omnino cuiusque conditionis, & ordinis parcendum statuerat. Augustæ Vindelicorum iterum conuentu factò Othonem à Vietelsbach Philippi paricidam proseripit, & ad expeditionem Italicam per Tridentinas alpes se accinxit. Bononiam vsque progressus omnium Italiae primorum concilium habuit, validumque exercitum sibi comparauit, & Romam rectà iter instituit. Exceptus ab Innocentio, & omnibus Cardinalibus P. Q. R. vniuerso magnificè, & quarto Nonas Octobris in Basilica S. Petri coronatus est, factò Ecclesiæ solito Imperatoribus iurejurando. Sed cūm fidem datam, insolenti libidine, subito profanasset, Ecclesiæ dignitatem, pro eius erga se meritis non modo non tueretur, sed etiam oppugnaret, opida eius caperet, omnia latrocinij infestaret, ipso tempore, sacro anathemate ab eodem pontifice percussus & imperio exutus est. Anno decimo postremò mortem obiit Vernerus quondam abbas, eo nomine secundus, nono decimo, quam dignitatē sponte suâ

posuerat.

A. D. X.

CIO.
CC. IX.

A. D. N.

CIO.
CC. X.

posuerat. Erat Alberti comitis Toggenburgensis filius. Admodum iuuenem ob virtutis opinionem Fridericus Imp. Monasterio, vt diximus, præfecerat, modestè, id & magno publico bono per annos prope viginti habuerat. Nam & prædia, & redditus monasterij, quos maris ducentis obligatos per Varini luxum, & licentiam acceperat, redemit, & in integrum restituit, sacarium auro, argentoque, & gemmis, & margaritis, vestibusq; quibus ad altare Domini vsus, pluribus ornauit, & auxit. Pluuialia quinque serica, castiolam vnam coccinam, alteram dalmaticam fieri curauit. Crucem quoque chori maiorem argenteam, quam varijs beatorum reliquijs impleuit. Brachia sanctorum Mauritij patroni, & Dignæ martyris ab S. Vldarico Augustæ episcopo olim accepta, auro, argento, & gemmis cooperuit. Sarcophaga duo S. MEGINRADI, & D. Mauritij nomini dicata perfecit, quibus in sarcophagis has reperio conditas sanctorum, & aliarum rerum sacras reliquias. In sarcophago quidem D. Mauritij. *De brachio eiusdem Diui, & reliquijs diuersis sociorum eius. De ligno S. Crucis, de Præsepe Domini, de Terra, vbi Dominus sedit, cum calos ascendit, de Sepulcro Domini, de Myrrha Domini, de Sepulcro S. MARIE Virginis, de veste eiusdem quam ipsa fecit. Ioannis Baptistæ, Petri Apostoli, Pauli Apostoli, Bartholomæi Apostoli, Andrea Apostoli, Iacobi Apostoli. De Cruce S. Andrea. Stephani protomartyris, Laurentij martyris. De corpore S. Iusti, & dens eius. S. S. Innocentium. Dionysij sanguis, & sociorum eius reliquiæ, Sebastiani martyris, Bonifacij episcopi, & martyris, Cyriaci diaconi, Sixti pape, Georgij martyris, Gereonis martyris, Marci Euangelistæ, Felicis & Regula martyrum, Vrsi mart. Vincentij mart. Alexandri pape & mart. Valerij mart. Hippolyti mart. Senesii mart. Valentini mart. Genesij mart. Cosma, & Damiani martyrum, Gordiani, & Epimachi mart. Marcelli pape & mart. Heraclii mart. Fabiani pape & mart. Lazari, Remacii Episcopi, Policarpi presbyteri, Gregorii pap. Honorati, Geminiani episcopi, Germani episcopi, Briccii episcopi, Calesti, Arnualis, Dissiboldi,*

Fridolini

Fridolini confessoris, Galli confessoris, Othmari abbatis, Benedicti abb. Columbani abbatis. S. Gemini, Amandi confessoris, Affra mart. Hilaria mart. de capillis diua Magdalena, Agnetis virg. & mart. Agatha virg. & mart. Felicitatis mart. Fidis virg. & mart. Babyla virg. & mart. Verena virg. Cæcilia virg. & mart. Othilia virg. Petronella virg. Eutropia mart. Eunomia mart. Arina virg. de capillis S. Radegundis.
 In sarcophago verò S. MEGINRADI. Corpus S. MEGINRADI, de præsepi Domini, de sepulcro Domini, de spongia Domini, de Caluaris loco, de monte, quem Moyses vidit, ardentem, de vestimentis Domini, de costis S. Mauritij, & de eius vexillo, & de reliquiis commilitonum eius, Ioannis Baptista, Petri apostoli, Simonis, Cornelij, & Cypriani, Tiburtij mart. Clementis papa & mart. Xisti papa & mart. Multa quæ ad ornatum, quæ ad splendorem, pietatisque incitamenta, & sacrorum officiorum administrationem idem Vuernerus instituit, ædificijs quoq; varijs monasterium illustravit. Leges postremo, suffragante Collegio, quæq; ad victû, quæq; ad amictû monachorum sumtuarias tulit, Monasterij magnum oconomum, totius conuentus optimum parentem se gessit. Legum fragmentum hic adponere precium arbitratus sum, vt quæ tum disciplina habuerit, qui mores fuerint sit manifestum. Illud ita habet.

PLacuit, ea qua tempore administrationis nostra ad necessitatem, recreationemque fratrum sollicitè ordinauimus, presenti pagina imprimere, quatinus à successoribus nostris sub perpetuâ firmitate inconcussa custodiantur. Adoptantes etiam, vt si qui ea temnere, infringere voluerint, aternâ pœnâ puniantur. Statuimus ergò ex communi consensu fratrum & consilio, quatinus ea, qua præsens pagina declarat, sine omni cunctatione de Vestuario fratribus persoluantur. Singulis itaque annis quinque linteamina dentur fratribus, singula octo vlnarum, qua ex tali panno fiant, cuius vlna sufficiënter solidum apprecietur. Hac autem cum cooperituris totidem semper dabuntur his fratribus, qui eo anno secundum terminum vicis suæ cooperturas accipiunt. Statui-

V

mus præ-

mus præterea cuiuslibet fratrum singulis annis xx. solidos pro lineo panno, atque duas caligas ex optimo panno, quo Claustrales utuntur, ex altera dimidia vna constantes, nec non et pilleos omnibus indifferenter in secundo anno secundum quantitatem sufficientes, secundum materiam ex optimis agnini pelliculis. Pellicia quoque singulis annis omnibus fratribus dentur. Tunica vero, et cuculla, prout necessitas exposculetauerit, ex eleganti materia, decenti forma, officiosissime ministrabunt. His decreuimus adiciendum, Vti pueri in secundo anno singuli noua pellicia accipiant. Tunica vero et cuculla, et caliga que ipsis conueniant, acquirantur. Decreuimus præterea, ut ter in anno calciamenta accipiant, scilicet in Natiuitate Domini, cum filtris, et soccis. In Pascha cum soccis. In Assumptione sanctæ MARIE cum soccis pueri cum fratribus. Manutergia, mensalia, cochlearia, luminaria in mensa, ac ciphos, piper, mel, ac cuncta lectisternia à Vestuario accipiant, tam fratres, quam hospites, exceptis pauperibus. Tria beneficia, ut notum est, fratribus in anno persoluat. Omnia, præter victum, fratribus amministret. Cetera quæ subsequuntur, et ad victum pertinent, ab Abbate, et Præposito, ac ipsorum sequacibus persoluantur. Ex feodalibus beneficiis, quæ in nostro tempore iuri nostro cesserunt, pro remedio anima nostra, et dilectione fratrum præscripta, et subsequencia cum consilio fratrum ordinauimus. Decreuimus in qualibet summa festiuitate laboriosos panes dari fratribus, quod vulgo Breza appellatur. A fratribus etiã impetrauimus, uti in die Palmarum præparent se in Cappis, quod antea minimè fiebat, quibus eadẽ die undecim solidos ex feodo cuiusdam militis de Leginanch, dentur in usum piscium constituimus. Deinde etiam de quodam feodo cuiusdam militis in Sibenechen sito, quod etiam nostro iuri cedit in anniuersario nostro fratribus seruire in vno copioso ferculo piscium, et propinatura boni vini iussimus. Et huius ministerij dispensationem Magistro infirmorum iniunximus. His adiungimus octauã sancti Mauritiij Patroni nostri sub pleno officio celebrari, et ipsã die quindecim solidos pro ferculo piscium, et propinatura

boni vi-

boni vini de decimatione in Mose, quæ etiam erat feodum militis. Relationem beati MEGINRADI martyris de Augia ad nos sub pleno officio celebrari instituimus, atq; ipsâ die caritatem fratribus in copioso ferculo piscium, & bono vino propinaturam decernimus. Hæc autem ex viginti solidis, quæ etiam ex feodo, & decimis in Ride persoluuntur. Post hæc accidit Vdalricum villicum de Phasinhouen mori, virum diuitem, & opulentum, ex cuius beneficiis, quæ in feodali iure possidebat, charitatem fratribus in qualibet Dominica per totum annum dispensauimus. Ordinauimus autem de villicatione prædicti Vdalrici, quatenus in feria quarta per totum annum pisces indubitanter à fratre, quem communis caterua fratrum elegerit, ministrentur. Qui pisces exhibendi sunt de rusticana præsentatura, quæ vulgo V Visunga dicitur, atq; de duabus piscaturis, quarum prima est Raprecht suuilare, secunda Friginbach. Si autem prædictarum Dominicarum, aut feriarum aliquam festiuitas occupauerit, in qua Præpositus teneatur seruire, prædictus frater in altera die suppleat. Harum autem refectionum qualibet exhibeatur in piscibus qui quinq; solidis comparentur. Sed quia prædictorum beneficiorum redditus nobis ad quotidianos vsus erant necessarii, ea quæ dicta sunt ex oblationibus, quæ dicitur gemenda, quia nobis omnibus communis est, fieri iudicauimus, eo scilicet pacto, ut si hæc oblationes in tantum cessauerint, ut supra dicta constitutio inde non valeat exhiberi, ad præfatos redditus reuertatur. Interim Præposito qui in subsequentibus seruire tenebatur, in tantum deposuimus, & ex præfatis oblationibus, dum persoluere potuerint, sicut in prædicta Dominica exhiberi decreuimus. In festo Hilarii, Cathedra Petri, Matthei Apostoli, Gregorii pape, Benedicti abbatis, Marci Euangelista, Inuentio sanctæ Crucis. Vdalrici Episcopi, Affra martyris, Felicis & Regule, Matthei Apostoli, Galli Confessoris, Octauæ sancti Iusti martyris, Uvolfgangi Episcopi, Commemoratio animarum, Othmari Confessoris, Clementis pape, Cunradi Episcopi, Mariæ Magdalene decem solidi, & quartale boni vini tribuatur. Hæc sunt

autem anniuersaria, Tietlant, Imbricus, Vvernherus, Hermann, Henricus, Seliger, Rudolf, Ger, Vvernherus, Rudolfus, Vvernherus. In festo B. Agathe, de quadam nouella quam acquisuimus, anniuersarium Vdalrici, ac successorum suorum celebrari iussimus. De mensura potus hanc constitutionem ex communi petitione fratrum promulgauimus, quatenus viginti emina ex quartali vini Turgensis mensura fideliter exhibeantur. Deinde plantatores vineæ facti sumus in Lugatum. Præterea à domino Maffrido de Siggig in quoddam prædium in eadem villa, & alias centum quinquaginta libris, insuper diuersis beneficiis coemimus, de quo plenum atq; copiosum fratribus seruitiū in festo B. Iusti martyris ordinauimus. Exteriori autē familia, velut in Anniuersario Othonis Imperatoris dari volumus. Multa prædia, & alias acquisita in quotidianos usus seruire relinquimus. Maioratus in Riegol, & in Britton, & in Erlibach, & in Fesinchouen, retinuumus. Res Ecclesie quas ducentis marcis expositas inuenimus retinebamus. Edificia nonnulla hic, & alias erigebamus. Quendam etiam militem nobili prosapia genitū, atque consanguinē nostrum diuersis laboribus, gazā, beneficiis, præbendis, ac diuersis nostris suasionibus vocauimus, qui vniuersum prædium, quod in Utu vilere habuit, sub proprietatis iure nobis contradidit, & ex eodem in anniuersario suo, velut in anniuersario Othonis Imperatoris fratribus, atq; familia copiosum seruitiū ordinauimus. Insuper in translatione beati Benedicti, decem solidi propiscibus fratribus ministrentur.

Venero Cōstantiæ episcopo eodē pene tempore è medio sublato, successor electus Cunradus II. ex Comitibus, siue Baronibus ab Andechisa. At verò in Germania Othonis Imp. excommunicationem Sigifridus Maguntiacensis archiepiscopus publicauit. Et pleriq; principes, quorum nunnulli jam sacramentum puero promiserant, Fridericum Rogierium Siciliae regem, & Sueuiæ ducem regnare iusserunt, legatosque in Siciliam, qui in Germaniam deducerent, expediuerunt. Pontifex adprobauit. Otho Friderici Apuliam vastauit, anno vndecimo, & hibernis Capuæ exactis, Germaniæ amittēdæ metu, anno sequenti, Norimbergam peruenit, ibi-

que con-

A. D. N.

C. I. D.
C. C. XI.

que conuentum habuit mox in Thuringiam duxit. Fridericus interea magnis laboribus, & periculis per Alpes Rheticas denique Constantiam peruenit. Vbi cùm aliquandiu conqueuisset, Otho, Thuringiã omisã, quantã maximè potuit celeritate aduersarium insectatus in Allemanniam conuolauit, Vberlingæque è regione confedit, omnes intercipiendi Friderici occasiones captauit, sed auxilio Comitum Habsburgi, Kiburgi, Rapersvillæ, & aliorum Basileam deductus est. Eum Brisiacum vsque Otho persecutus, cum milites dilaberentur, & plerique nobiles deficerent, desperatis rebus, in Saxoniam inglorius recessit, anno duodecimo. Sequenti, Fridericus, Haginoã, quæ se opposuerat, expugnatã, cùm se reliquæ circa vrbes, & castella dedissent, Rheno secundo, ingenti principum comitatu, Aquisgranum tendit, ibique coronatus est. Etsi verò Berchtoldus abbas magna cum satisfactione hucusque Monasterij clauum tenuisset, eximiã quã erat eruditione, & prudentiã, integritateque, ætate tamen, aut morbo, aut vtroque (breui enim post obiit, anni sequentis Nonis Aprilis) siue alia quæcumque causa fuit, neque enim de eare aliud certius adfirmauerim, administrationem, & dignitatem simul deposuit, pridie

Kalend. Iunij huius anni, fratribusque legendi alium quemcumque probauissent potestatem fecit. Lectus Conradus ex Comitibus Dunensibus.



V 3

CVN.

A. D. N.

CIC.

CC. XII.

A. D. N.

CIC.

CC. XIII.